IN NUPTIIS AUSPICATISSIMIS

FERDINANDI Archid. Austr. Magni Etruriae Principis

et Serenissimae **ANNAE MARIAE**

REGIS SAXONIAE FILIAE

II

1365
30

CARMEN

Multorum mores hominum visurus, et Urbes
Longum carpis iter, dulcissima cura Parentum,
Fernande, Etruscae spes magna et gloria Gentis.
Omine Te fausto Genius comitatur amicus:
Eja agedum, quo Te ducet fidentior ito.
Mox Te suspicient Germanus, Francus, et Anglus,
Allectaeque tuâ variae dulcedine Gentes.
Quovis nempe loco, hospitio excipieris honesto,
Amplaque non deerit summorum gratia Regum.
Aurea, dum florent Anni, oh! Tibi vincula nectat
Purus Amor, sancte quae Virtus pronuba firmet.
Jam Patriae sobolem debes, virtute Parentes

Quae referens, regale Genus producat in aevum.
Sed Te jam tenet Urbs, medius quam dividit Albis.
Edita Saxoniae Regum de sanguine Virgo,
Germanas inter pulcherrima Virgo Puellas,
Mox Tibi succendit pudibundo pectus amore,
Optatusque Gener consortia foedera spondes.
Scilicet omnigenâ ornatum virtute, Parenti
Foedere amicitiae vinctum, Thuscisque faventem
Coeli Vox suasit Socerum Tibi quaerere Regem.
Sic hortante Deo Generum sese obtulit olim
Labano Isacides Natus, sic ore venusta,
Pulchrior atque animo Rachel sibi contigit Uxor.
Coniugio tali haud ausim clamare profanus:
« Hymen o Hymenaee, Hymen ades o Hymenaee »
Namque quid a ficto sperandum numine faustum?
Sed Te, qui primos consorti jure Parentes
Jungebas, thalami sacro qui nomine foedus
Ditabas, justam laturum in saecula prolem,
Te Nuptis orare juvat, Deus alme, secundum.
Sed jam regales junguntur, Te Auspice, dextrae.
Jamque Nurum excipis amplexu, **Leopolde**, paterno,
Laetus et Etruscas felix Par ducis ad oras.
Nunc oh! quanta Tibi pertentant gaudia pectus,
Quantaque laetitiae certissima pignora promis!
Auges multiplici nubendas dote Puellas,
Sontibus indulges, miseris succurrere cordi est,

Praemia distribuis, magnos largiris honores.
Jam nova Nupta venit: dignas, Florentia, pompas
Ducere, nunc virides per compita sternere flores,
Pellere nocturnas taedarum luce tenebras
Nunc decet, ex animo ingentes ac tollere plausus.
Nunc Superûm festis ornandae frondibus aedes,
Atque Deo grates tanto pro munere habendae.
Otia jam peragant Cives, requiescat Arator,
Et clamosa Fori paulisper jurgia cessent.
Oh! salve nova Nupta! viden' quo Thuscia plausu,
Quanto Augusta Domus Te sponte receptat amore?
Quippe novos hic invenies nova Nata Parentes,
Coniugis exemplar, Matrisque imitabile, Socrum,
Majoremque Amitam eximiâ virtute nitentem.
» Magnorum soboles Regum, pariturаque Reges »
Digna Nurus Thusci merito celebrabere Regis,
Atque novum Etrusco sidus spectabere Coelo.
Haud mora longa, dies aderit laetissima, Matris
Quâ Tibi, Nupta, sonet jucundum nomen in aure,
Ac Puer alludat maternis parvulus ulnis.
Felices Animae, facto velut agmine, ovantes
Jam circum thalamum advolitant, quas excitat ardor
Per Te vitales prodire in luminis auras;
Quod faustis properat praesaga Etruria votis.
Tuque oh!, quem Flora externis dudum invidet oris,
Salve, dum patriam remeas, Dux inclyte, ad Aulam,

Egregiae vinctus sociali foedere Nuptae,
Candida formoso cui Virtus ore renidet.
Jure Viri interea frueris, mox jure paterno
Auctus, et augusti sectans vestigia Patris
Paulatim disces regnandi sedulus artem.
Tu laude illustres Proavos, famâque per Orbem
Diffusâ referes clarum, **Fernande**, Parentem;
Nostrisque addetur per Te nova gloria fastis.
Sic dexter laeta eventu Deus omina firmet!

Plura quidem canere, et longe meliora decebat.
Sed jussu, **Leopolde**, Tuo gravioris adurgent
Pensa ministerii doctis non grata Camoenis.
Sat mihi, si detur, Musa licet impare, sensus
Promere laetitiae, atque humiles extollere plausus.

N. Nervinius
Florentiae in Aulâ Regiâ
Juri dicundo Praeses.

Florentiae An. MDCCCLVI. Typis Ferdinandi Chiari

IV